

DE  
**FEBRE SCARLATINA**  
**EPIDEMICE HACTENVS GRASSANTE**

CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO  
ET EXPERIENTISSIMO,  
DOMINO  
**D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO**

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.  
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO,  
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.  
NEC NON BEROL. SCIENT. ET PARISIN. CHIRVRG. SODALI,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SOLLEMNITER CONSEQVENDO  
DIE XXI. NOVEMBRIS MDCCCXLIV.  
H. L. Q. S.

PVBLICE DISPVTABIT  
AVCTOR  
**DIETERICVS HERRMANNVS EHRlich**  
ISERLOHNA-GVESTPHALVS.

\*\*\*\*\*  
HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.



DE  
FEBRE SCARLATINA  
EPIDEMICE HACITIVS GRASSANTE

CONSENSU  
GRATIOSO MEDICORUM ORDINIS

IN REGIA FREDERICIANA  
PRAESIDE  
VIRI HONORABILISSIMO DOCTISSIMO  
ET FERRISSIMO

D. PHILIPPO ADOLPHO BOHMNERO

PRO GRADU DOCTORIS

DITTELHOVS HERMANNVS EHLICH

EXAMINATOR





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
FEBRE SCARLATINA  
EPIDEMICE HACTENVS  
GRASSANTE.

PROOEMIUM.



*T*otum ferme, quod TIBI, BENEVOLE LECTOR, sistitur opusculum, ILLVSTRI meo PRAESIDI debetur. *Observationes, quas de febre scarlatina, epidemice hactenus grassante, secunda continet*

A 2

Sectio,

*Sectio, medendique methodus, quam edocet Sectio tertia, ab ILLUSTRI VIRO proficiscuntur. ILLIVS consilio ductus reliqua adieci. Moneo haec, tam ut gratissimam meam mentem publice declarem, quam ut intelligat LECTOR, tradita hic non esse commenta cerebrina.*

*Neque plura, credo, de propositi argumenti utilitate dicenda sunt. Nemo non nescit, quam utilis sit atque necessaria morborum epidemicorum & descriptio & observatio accurata. Hisce laudes fere omnes SYDENHAMI superstructae sunt, quibus certo certius Illius nomen ad omnem portabitur posteritatem. Non ideo haec dico, ac si tantum me amem, ut cum summo Viro me comparari posse censeam (summa enim arborum cacumina virgulta longe relinquunt); id tamen exinde satis certo colligi posse arbitror, utiles semper haberi accuratas morborum epidemicorum consignationes. Neque ideo haec laus nunc proponendis observationibus, quae e peno ILLV-*

STRIS

STRIS PRAESIDIS depromtae sunt, denegari poterit.

Accedit adhuc alia ratio. SYDENHAMI Lectores fugere nequit, egregium Virum febrem scarlatinam non morbum, sed nomen tantum morbi dixisse, idque ob summam, quam finxit semper obtinere, morbi benignitatem. Alii vero summa cum rei medicae utilitate contrarium & obseruarunt & stabilierunt, quorum sententia hisce corroborabitur!

Ipsa demum de febre scarlatina scripta rariora sunt, quam quae alios morbos, quos patitur corpus humanum, explicant.

Quibus simul me effecisse credo, ut & illi, qui ex titulo semper aut principio aliunde manco scripti academici nouitatem determinant, huic labori nouitatis gratiam concedant.

Ad ordinem veritatum transeo. Quum primo hunc meditarer: in duas tantum sectiones totum scriptum diuidendum esse putavi, ita, ut prior Pathologiam febris scarlatinae epide-


*nice hæcenus grassantis, altera Therapiam illius adumbraret. Facile vero dein perspexi, pulcrius longe illam exponi posse ex præmissa generali febris scarlatinae natura. Mutavi ideo consilium atque tres formavi sectiones. PRIMA de febre scarlatina generatim breuiter agit; SECUNDA promissas exhibet observationes earumque considerationes; TERTIA methodum mendi, ab ILLVSTRI BOEHMERO adhibitam, continet.*

*Vtere his mecum B. L. & vale!*



SECTIONIO





SECTIO PRIMA  
DE  
FEBRIS SCARLATINAE THEORIA  
GENERATIM.

---

§. I.

*Maculae scarlatinae describuntur.*



Observantur nonnumquam, rarius quidem in adultis, longe vero frequentius in infantibus, exanthemata, quorum haec est ratio & natura: maculae repraesentant plus minusve rubras, primis maxime diebus ad colorem cinnabarinum, sensim pallidiorem reddendum, accedentes; inaequales sunt & minus unformes; constituunt nonnumquam ita, ut univ[er]sa cutis colorent  
scarla-

scarlatinum referat; erumpunt plerumque a febre modo primo, modo secundo, modo tertio die, modo etiam tardius. Loca eruptionis differre videntur. Notavit *Illustris BOEHMERVS*, exanthemata haec primo extrema, dein caput, postea totum abdomen ac spinam dorsi inuadere; *Celeber.* contra ea *PLENCIZ* eruptionem fieri primo in facie, collo, faucibus, pectore, tandem in dorso, abdomine & reliquo corpore edixit. Solent porro istae maculae non solum externam corporis peripheriam occupare, sed ad interiora quoque, praesertim partes, in ore & faucibus contentas, vergere. Rubent tunc haec loca atque tument, quod etiam in facie & reliquo in corpore nunc magis nunc minus obseruatur, ita, vt inflammatio erysipelacea partes adficere videatur. Neque raro contingit, vt post aliquot ab eruptione istorum exanthematum dies alia iisdem accedant, quae miliaria alba utcumque referre solent, licet, vt ex effectu patet, minus nonnumquam cum genio purpurae albae comparari, saltem omnia, possint. Solent postea modo citius, modo tardius haec exanthemata, facta plerumque cutis decorticatione, solui. Ista exanthemata, quae fusc delineauit, *exanthemata scarlatina*, seu *maculae scarlatinae* dici solent. Conf. *Perillustr. van SWIETEN Commentar. in Aphorism. BOERHAAVII de cognosc. & cur. morbis Tom. II. f. 723. Celeberr. PLENCIZ Oper. Medico-Phys. Tractat. III. pag. u. seqq. Illustr. LUDWIGII Institut. Medic. clin. f. 166. Illustr. b. m. ELLERI Obseruat. de cognosc. & curand. morb. praesertim acutis Sect. VI. pag. 156. Celeberr. CARTHEUSERI Fundam. Patolog. & Therap. Tom. II. Sect. VIII. Cap. X. f. II. & alios plures scriptores. Ex horum monumentis cognoscere simul poteris,*

teris, qua ratione maculae scarlatinae a reliquis exanthematibus differant? quod in primis *Celeberr. PLENCIZ in cit. Tract.* eleganter exposuit.

§. II.

*Febris scarlatina.*

Dicitur est §. antec. maculas scarlatinas saepe febre comitari. Haec febris ideo vocatur *febris scarlatina*. Neque iniuste. Solent enim Medici saepe numero febribus exanthematicis id imponere nomen, quod ab exanthemate, cuius eruptioni fauent, desumitur, quod petechiales, perpuraceae, variolosae, morbillosae satis testantur.

§. III.

*Febris scarlatinae symptomata.*

In eo iam occupatus, ut naturam febris scarlatinae eiusque causam determinem, colligam symptomata, quibus stipata ista febris incidit, quaeque a fidissimis Auctoribus recensita reperio. Nolo tamen hic ea adferre, quibus, ex observationibus *Illustris BOEHMERI*, nunc grassans febris scarlatina sese distinguit. Parebit haec differentia ex iis, quae secunda suppedirabit sectio. Incipit vero febris maiori minorive virium imbecillitate & lassitudine, accedente dein horrore, frigore aut horripilatione, calore & febre. Dolet caput; oriuntur adfectus soporosi, vigiliae, nonnumquam deliria, vomitiones, vomitus ipsi, haud infrequenter tunc concurrentibus lipothymus; rarius autem diarrhoea observatur. Deglutitio, respiratio, loquela laeduntur; inquietudines, anxietates, sitis magna, concurrunt, oculi humidi &

B

tumi-

tumidi reddantur simulque rubent. Erumpunt tunc descripta exanthemata (§. I.), quae ita, vt diximus, progrediuntur. Quae quidem ratione febris scarlatina frequenter incedit, salutariter haud raro cum ipsis exanthematibus decurrens. Quandoque autem longe tristiores magisque compositam ludit scenam. Nonnumquam enim haemorrhagiae, exanthemata alia, purpuracea nempe, tumores colli & parotidum, difficilis auditus, plenaria surditas, sternutatio molesta, variarum partium abscessus, convulsiones enormes saepe lethales cum summa iactatione accedunt. Praeterea frequentissime nouum symptoma adparentem morbi solutionem excipit. Die nimirum vel decimo quarto, vel decimo quinto a dissipata scarlatina aeger post languorem toto corpore tumidus reddi solet, corpore leucophlegmatico tumore adfecto, qui mirandam haud raro acquirit magnitudinem, aegrisque saepe valdopere est infensus. Hoc tandem tumore rite dispulso aeger demum cum sanitate in gratiam redit. Confer. *Celeber. PLENCIZ loc. cit. Sect. I.* digna, quae tota cum studio perlegatur; sistit enim obseruationes *Clar. Viri*, de febre scarlatina factas, quas Sectione II. cum aliorum Medicorum sententiis comparat.

## §. IV.

*Febris scarlatina morbus est contagiosus.*

*Morbum contagiosum* nomino hic morbum, qui semetipsum propagare potest. Eiusmodi vero morbum febris scarlatina omnino refert. Docuit id saepe laudatus *Celeber. PLENCIZ loc. cit. p. 61.* atque ex obseruationibus suis colligit, *scarlatinae contagium facilius propagabile & multiplicabile esse, quam in variolis & morbillis ipsis.* Quibuscum

EPIDEMICE HACTENVS GRASSANTE. II

busecum *Illustris* BOEHMERI obseruara egregie conspirant. Quare nul-  
lum est dubium, quia febris scarlatina morbus fit contagiosus.

§. V.

*Causa febris scarlatinae latet in acri.*

Febris scarlatina morbus est contagiosus (§. antec.). Quare  
caussa illius ita comparata esse debet, vt eundem morbum in disposito  
subiecto procreare possit. Debet itaque fluidis inhaerere. Verum co-  
pia fluidorum morbosa, motus illorum vitiosi, errores loci, aliaque eo-  
rundem vitia, vnice excepta acrimonia, numquam latius ex vno ad  
aliud subiectum serpunt. Causa ergo febris scarlatinae in acri sita  
erit.

§. VI.

*Acree illud (§. antec.) acree est suae speciei & sanguini inexistit.*

Exanthemata scarlatina differunt ab aliis omnibus exanthemati-  
bus (§. I.). Causa itaque illorum distincta esse debet a causa omnium  
aliorum exanthematum. Pendent nihilominus ab acri (§§. III. antec.),  
quod ergo ab omni acri, quod alia exanthemata excludit, diuersum  
esse debet. Necessè ea propter est, vt sit acree suae speciei, biliosae  
forsitan indolis & causticae. Quoniam autem illud ipsum febrem accen-  
dit (§. V.), atque ideo cordi cum sanguine admoueri debeat (per Pathol.):  
patet, acree illud sanguini simul inexistere.

§. VII.

*Acree illud serosae inprimis sanguinis massae inhaerere videtur.*

Tria sunt, quae id mihi suadere videantur. Primo: scarlatina  
febris saepe epidemice grassatur, in quo omnes Obseruatores conueni-  
unt.

unt. Ortus eiusmodi grassationis vix aliunde, quam ab aëre deduci potest. Obseruatur enim, licet cibi, potus aliaque vix mutata sint. Posita hac veritate: aëri tunc acre quoddam, quod exactius determinare non audeo, insit necesse est, quod resorptum per vasa corporis absorbentia sanguini infertur, febris scarlatinae dein existens causa. Quum ergo tunc acre aëreum primo cum vasculis serosis & fluido, in iisdem contento, communicetur: serosa etiam sanguinis massa praë primis ab acri illo inquinari videtur. *Secundo* id nonnulla symptomata ostendere videntur. Docet enim §. III. actionem huius acris imprimis versus nares faucesque dirigi, quae loca procul dubio sunt serosa. Nonne hinc meum assertum magis confirmatur? *Tertio* tandem *Illustris* GAVBIVS demonstravit (*Instit. Patholog. med. §. 362.*), *pleraque acria in sero sedem suam figere, hocque quasi vehiculo per corporis partes sese diffundere.* Quare & hoc allata propositio corroboratur. Ne longus sim, plura momenta, quae hic adhuc adferre possem, omitto.

### §. VIII.

*Acre, quod causa huius febris est, sanguinem resoluit.*

Docuit obseruatio, cum febre scarlatina nonnumquam saliuam cruentam coniungi, quid? quod, producto tumore illo leucophlegmatico, vrinam paucam, plerumque cruentam, aut loturae carniui similem accedere. Vid. *PENCIZ l. c. p. 15. 18.* Haec sanguinis cum fluidis secretis permixtio pendebit, vel a resolutione sanguinis, vel a dilatatione vasculi secretorii. Videri posset, ac si a vasorum secretoriorum enormi dilatatione fieret. Cum enim sanguis congeri debeat ob febrim praesentem, tam ad caput (§. III.), quam ad renes, cum causa febris

febris scarlatinae haereat in primis in massa sanguinis serosa (§. anteced.): ab hac forsitan sanguinis congectione deducere quis posset ortum tam saluae, quam urinae cruentae. At enim vero hoc ipsum acre hanc explicationem non permittit. Vasa enim tam saluam, quam urinam fecerentia, utpote irritabilitate donata, ab acri admoto contrahi debent. Nil itaque congectio sanguinis ad dilatanda haec vasa conferre poterit. Paucitas urinae, cum sanguinis commixtione simul obseruata, a posteriore, quod dixi, confirmare videtur. Quare phaenomena adducta pendent a resolutione sanguinis, quam ergo acre illud, quod causa febris scarlatinae existit, ingenerare debet. Corium pleuriticum, quod venaesectio in sanguine sub eiusmodi febris ostendit, effectus est productae inflammationis & febris. Hinc contra me adferri non debet.

§. IX.

*Contagium scarlatinum est subtile.*

Dum in *Med. Sacr.* Iudaeorum lepram describit *Celeber.* MEAD, contagiorum differentiam non sine ratione adfert, qua contagium modo *subtilius* est, modo *crassius*. Quod enim halitu solo corpore receptum morbum infert, *subtilius*, quod vero nonnisi tactu contaminat *crassius* nuncupari potest. Nunc docuerunt obseruationes, scarlatinam febrem absque contactu propagatam esse, quod, ut alia taceam, vel exinde patet, quod Auctores scarlatinam cum morbillosa eandem esse dixerint. Erit ergo contagium scarlatinum omnino subtilioribus adnumerandum.

## §. X.

*Acre illud sufficit ad explicandam febrem scarlatinae phaenomena.*

Dum confidero, febris scarlatinae causam in acri subtili, solvente, sanguini & sero eius imprimis inhaerente sitam esse (§§. V - IX.), dum effectus eiusmodi acris, in Pathologia explicandos, in memoriam reuoco: pulcre exinde perspicio, superius de febre scarlatina allata hinc deduci posse. Acre, sanguini inhaerens, causa est grauioris in corde producendae irritationis, hinc febris. Non mirandum itaque erit, quod ab isto acri febris accendatur. Acre porro, adiutum in primis impetu febrili, maculas efficere potest, pro ratione acris diuersas, quod petechiae, morbilli docent. Causa itaque patet generatim, cur exanthemata scarlatina hinc oriuntur? Quum vero acre illud irriter, atque locis serosis inferatur: inflammationes hinc faucium, pulmonum, asperae arteriae, ventriculi, intestinorum &c. originem suam sumere possunt. Vnde deglutitio, respiratio & loquela laesa, nausae, vomitus, tussis, diarrhoea, anxietates, inquietudines, sitis magna, surditas, abscessus variarum partium, tumores, sternutationes molestae, vel solum, vel magna ex parte proficiuntur. Cum dein acre illud sanguinem soluat (§. VIII.): causa & haemorrhagiarum, & aliorum exanthematum, nonnumquam concurrentium, conspicitur. Quoniam etiam acre lympham corrumpit, febrimque producens enormem sanguinis versus caput congestionem inducit: hinc liporhymiae, lassitudines, sopores, vigiliae, deliria, conuulsiones, iactationes summae & oculorum adfectiones facile enodantur. Tandem cum acre subtile sit (§. antec.), excretionibus naturalibus vel expelli, vel, concurrentibus impedimen-

tis,



tis, retineri poterit. Si illud: soluitur febris sine alio morbo, dein subsequente. Si haec: obuolurum maxime in cellulosa cutanea, adeo frequenti impuratum sede, colligi potest. Vnde tumor leucophlegmaticus. Breuius haec dixi, vt quod de causa febris scarlatinae tuli iudicium paullulum corroboretur. Facile praeterea largior, vnum alterumque horum phaenomenorum ex pluribus causis, quas omisi, deduci posse. Nolui tamen fusius de his, ab aliis iam explicatis, disserere.

§. XI.

*Febris scarlatina potest febris oedematosa erysipelatodes dici.*

Febris scarlatina exanthemata scarlatina connexa habet (§. II.); haec vero inflammationem erysipelaceam & tumorem partium repraesentant (§. I.). Poterit ergo febris nominari, cuius exanthema tumorem erysipelaceum refert, seu febris *oedematosa erysipelatodes*. Hinc *cutis decorticatio* explicatur.

§. XII.

*Datur febris scarlatina, quae mali moris dici potest.*

Febris scarlatina, licet, si causam illius perferutemur, longe diutius comparere debuerit, ante SENNERTVM vix descripta reperitur, adeo tunc etiam ignota, vt egregius vir febrim, non addito nomine, describat. Ex eo tempore plures eandem delinearunt, at filo valde diverso. Plurimi sequentes SYDENHAMVM, nomen morbi dixerunt; paucissimi contra ea summum saepe huius morbi periculum adnotarunt. Paucos vero ante annos Celebris Medicus Viennensis, *Marcus Antonius PLENCIZ*, optime hac de re meritus est in Tractatu, quem saepius iam  
excita-

excitati. Quamvis enim cum excellentissimo Viro multis in rebus, iis potissimum, quae feminium verminosum, tamquam causam febris scarlatinae, attinent, facere nequeam: laudandae tamen sunt observationes copiosae, id fufius testantes, febrem scarlatinam non semper esse periculo destitutam, adeo contra ea saepius comparatam, ut, morbi instar pestiferi, aegros breui tempore iugulet. Quae cum ita sint atque aliorum iudicio & obseruatis confirmentur; nullum plane est dubium, quin febris scarlatina detur cum insigni vitae periculo connexa, quam ideo *mali moris* dicam. Quoniam autem SYDENHAMI aliorumque Virorum, illum imitantium, obseruationes nullo possunt modo reuici & in dubium vocari: dabitur febris scarlatina, respectu prioris *boni moris* nuncupanda. Confer. quae *Celeb. PLENCIZ* de diuersis, inde redundantibus, symptomatibus differit.

SCHOL. Dum theoriae verminosae hoc in §pho mentionem iniici: notandum est, *Illustrem BOEHMERVM* obseruasse, subiecta, finito morbo, de vermium praesentia conqueri. Hinc vero theoria verminosa vix confirmatur.

### §. XIII.

*Causa febris scarlatinae (§. antec.) hinc diuersa.*

Quum euietum sit a *Celeb. PLENCIZ* (*loc. cit. p. 62.*), causam febris scarlatinae mali bonique moris vna eademque esse specie: diuersitas illius ex diuersa causae, in se consideratae, natura commode deduci nequit. Causa itaque febris scarlatinae mali moris ex sequentibus determinari debet: *Primo* ex copia. Quo maior est febris scarlatinae causa, nempe acere, respectu suae copiae: eo grauiora etiam comparebunt

bunt symptomata, vnde periculum oboriri potest (per Patholog.). *Secundo* ex dispositione aegri. Quo magis enim dispositio aegri actionem acris, scarlatinam determinantis, auget & faciliat: eo grauior & periculosior redditur morbus. *Tertio* ex malo rerum non naturalium, medicamentorum & remediorum vsu. Hinc enim ex mitissimo morbo grauissimum fieri posse, experientia multoties confirmauit. Produxit etiam scarlatinam mali moris. Conf. *Illustr. de HAEN Diuis. febr. pag. m. 28. seqq. Illustr. LVDWIGVS l. cit. f. 169.* Ex his itaque causa febris scarlatinae boni maliue moris adparet.

§. XIV.

*An febris scarlatina morbus sit acutus? exponitur.*

Quum morbus acutus is dicatur, qui partim celeriter soluitur, partim etiam periculosus est: sequitur, dari scarlatinam acutam (§. XII.). Verum enim vero febris scarlatina nonnumquam sine vilo vitae periculo decurrit (§. cit.). Ergo existit quoque febris scarlatina, quae morbum neque acutum, neque chronicum refert. Definiui hic morbum acutum & chronicum ex mente *Illustr. GAUBII (Instit. Patbol. med. f. 367.)*. Conf. etiam *BOERHAAVE Aphor. de cogn. & cur. morb. f. 564.* & *Perillustr. van SWIETEN Comment. in b. l. Tom. II. pag. 8. Illustr. de HAEN l. c. p. m. 10.*

§. XV.

*Conclusio huius Sectionis.*

Non nego B. L. plura de theoria febris scarlatinae, generatim consideratae, a me differi posse. Nil dixi de causis, tempore & pe-

C

riculo

riculo febris scarlatinae epidemice grassantis; neque quaestionem: *an febris scarlatina febribus catarrhalibus adnumerari queat?* hic solutam inuenis. Denique ea etiam hic omittam, quae diagnosis & prognosin huius febris generalem respiciunt. Nolui autem omnia, quae huc spectant, pensitare. Condens scilicet generalem hanc de febribus scarlatinis doctrinam, eo tantum animum direxi, ut partim principia sectionis secundae proponerem; partim ea adnotarem & demonstrarem, quae ab aliis dicta non sunt, aut hac ratione ventilata, ut iisdem meum adicere calculum nefas ducerem. Quum vero viderem, ea, quae hic omitto, vel ab aliis eleganter esse exposita, vel cum sine meo minus conspirare; iure quodam meo iisdem me superfedere posse putavi, ne vel, nota dicendo, Lectori, vel, sermonem nimium protrahendo, mihi metipsum nauscam crearem. Interim citati a me Auctores de his omnibus conferri merentur. Ad secundam itaque Sectionem propero.



SECTIO

EPIDEMICE HACTENVS GRASSANTE. 19  
SECTIO SECVNDA  
DE  
FEBRE SCARLATINA  
EPIDEMICE HACTENVS GRASSANTE  
THEORETICE CONSIDERATA.

---

§. XVI.

*Contenta huius Sectionis.*



**F**ebrem scarlatinam, epidemice hactenus grassantem, theoretice nunc considerans: ad sequentia momenta attendam: I. Communicabo cum B. L. observationes, quas *Illustris* BOEHMERVS collegit mihi, pro ea, qua erga me est, benevolentia tradidit. II. Ostendam probabiles huius epidemiae causas. III. Differentiam febris scarlatinae, nunc grassantis, ab alia febre scarlatina explicabo. IV. De periculo illius disseram & verba faciam. Quibus peractis omnia, huc pertinentia, satis evicta esse arbitror. Principia Sectio prima suppedabit.

§. XVII.

*Observationes Illustris BOEHMERI.*

Observationes *Illustri* viri sequentis sunt tenoris, quas fere ipsis *Illius* afferam verbis: Febris scarlatina, epidemice grassans &

contagiosa sistit febrem oedematosam erysipelatoden mali moris, sicuti eandem potissimum Mense Septembri & Octobri obseruavi. Morbus hic subito corripit praecipue infantes iuuenesque cum horrore, quem excipiunt calor siccus, capitis ventrisque dolor, tussis sicca, anxietas, inquietudo, iactatio summa, ut teneri etiam infantes lecto vix teneri queant, sitis saepius clamosa, agrypnia, adfectus anginosi, muculos pharyngis & laryngis praecipue infestantes, respirationem, loquelam & deglutationem impediens, modo cum, modo sine tumore externo & abscessu comparentes; dolent dentes, lingua quodammodo tumida fit, muco obducta, nigricans. Pulsus cum celeritate increfcit, vasa sanguine turgida illum reddunt vehementem, spasmi insimul durum, status remissionis molliorem & debiliorem. Accedunt alui tenesmus, continui vomitus mucoso-biliofi, rarissime diarrhoea (§. XXIII.), deliria non vespertino, sed & matutino tempore; motus spastico-convulsivi, diu durantes & vtplurimum funesti. Urina pauca redditur, interdum frequens notatur stimulus, sub quo urina redditur tenuis & pallida. Haud raro sanguinis e naribus stillicidia comparent, quae vnam arteriae diastolen in duas diuisam seu *pulsum discretum* reddunt. Altero vel tertio die extrema, dein caput, postea totum abdomen ac spina dorsi inflammatione erysipelacea corripuntur, oculi tumidi & humidi quodammodo rubent. Morbus hic salutariter decurrens finitur septimo die cutis decorticatione. Sed nonnumquam postruptionem complicatur purpura alba, cum grauissimis febris malignae signis. Finitur postea decimo quarto die, crisi vniuersali. Superato morbo solet adesse aliquot dies tumor faciei oedematosus, sua sponte postea dispa-

disparens. Adeo tristis est B.L. quam grassans Halac febris scarlatina  
 lusit & adhuc ludit scena! Infelicem huius febris euentum in infante  
 notauit *VIR Illustris*, quem vero dein alia occasione ita communicabo,  
 prouti ab *Illustri PRAESIDE* describitur. In reliquis quam plurimis,  
 eurae *VIRI Illustris* commissis, quamuis summus aderat periculi gra-  
 dus, salutarem tamen morbi decursum notauit.

## §. XVIII.

*Constitutio aëris probabilis huius epidemia causa.*

Mense Septembri, ad finem vergente, & Octobri enormes aëris  
 mutationes obseruatae sunt. Calor aëris & frigus, humiditas & siccitas  
 illius adeo commutabantur, vt vix paucis horis interiectis nonnum-  
 quam vna alteram excipere visa sit. Sat frequentes interim erant  
 pluuiae, flantibus interea vehementer vel Fauonio, vel Aquilone. An  
 hinc forsitan ortus huius epidemicae febris deducendus erit? Videtur  
 omnino. Caloris & frigoris commutationes, satis cito sese excipientes,  
 corporum, quae penetrant, mixtionem facile corrumpere, vel ex ipsa  
 experientia patet. Conf. *Illustr. GAVBI Infit. Patbol. med. §. §. 426.*  
*428.* Quam facile itaque fiet, vt nociuae corporum exhalationes, ob  
 mutatam illorum mixtionem saepe acres redditae, aërem ingrediantur,  
 qui adplicatus corpori humano causam febris scarlatinae possibilem  
 suppeditat (§§. V. VI. VII.), eo citius, eo validius agentem quo magis  
 corpus humanum ipsum, subitis istis commutationibus expositum, ad  
 concipiendam acrimoniam magis dispositum est. Dum *Illustr. GAV-*  
*BIVS l.c. §. 430.* actionem aëris humidi in corpus humanum considerat,  
 notat (n. 8. & 9.), aërem humidum insimulque calidum *fluida retenta ad*

putredinem celerrime disponere, morbos putridos, contagiosos & pestilentes inferre, atque aetati teneriori valde nocere. Dum itaque haec ita sese habent, febris etiam scarlatina morbis contagiosis accenseri debet (§. IV.), & teneriori aetati magis familiaris est: patet, aërem humidum & calidum vere causam febris scarlatinae existere posse. Laudatus VIR *Illustris* n. 7. §. cit. adducit: *humori aëris iunctum frigus si fuerit modo memorata maiore etiam gradu feri & difficilius superari.* Ad memorata haec vero pertinent *corruptio aeris & febris* (n. 5.). Ortus itaque febris scarlatinae iure etiam aëri humido & frigido adscribi potest. Sicut equidem aër corpori humano magis est amicus. Quando vero eundem non multo post humidus excipit, & calor atque frigus accedit: fieri aliter non potest, quin tunc tam actio illius salutatis impediatur, quam nocivus caloris & frigoris effectus augeatur. Conf. *Illustr. GAVBIVS l. c. ff. 431.* Pluvia augebit procul dubio effectus aëris humidi antea descriptos, hinc causam, qua aër humidus ortui febris scarlatinae fauet. Adducti demum venti humidum aduehant. Neque dubium adeo est, quin ortui eiusmodi febris inferant. Quod si nunc descripta aëris constitutio febrem scarlatinam efficere potest: adeo vniuersalis causa in dispositis subiectis facile potuit, ad sociata imprimis contagii natura, grassationem producere. Conf. *Celeb. PLENCIZ l. c. pag. 66. HVXHAMI Oper. physico-med. Tom. I. pag. 315.* quo in loco scarlatina frequens notatur, Mensè Maio obseruata, a tempestate vda frigidaque. Vnde dicta a nobis maius nanciscuntur pondus.



## §. XIX.

*Causſa acceſſoria.*

Huic (§. anteced.) tamen, licet grauiſſimae cauſſae, alia adhuc accedere mihi viderur. Qui conſiderat, aërem humidum & calidum ſolida relaxare, frigidum vero in debilibus & quieſcentibus ſubiectis omnibus functionibus torporem inducere (*Illustr. GAVBIVS loc. cit. ſ. ſ. 424. n. 3. 427. n. 5. 430. n. 3.*): facile is conceder, hinc in ſubiectis aetatis tenerioris, vtpote ad ſcarlatinam magis procliuibus, ventriculum & inteſtina magis debilitari atque inde maiorem ad concipiendas in primis viis cruditates diſpoſitionem naſci. Qui praeterea perpendit, ab eiſmodi ſubiectis tempore autumnali haud raro fructuum horaeorum abuſum admitti, hinc vero facile primas vias copia eorundem nimia obrui, bilem facile eneruari atque inertem reddi poſſe: nouum iſtarum cruditarum fontem detegat, in caſu, quem §. anteced. adumbravimus, adhuc notabiliorem. Quae cum ita ſeſe habeant, maniſiſſime oſtendunt, effectibus aëris nociui, §. cit. deſcriptis, cruditates in primis viis adhuc facile accedere potuiſſe. Dum vero iſtae nouas dant acrimoniae ſcurigines: effectum aëris facilitare omnino poterant.

## §. XX.

*Explicantur hinc varia ſymptomata.*

Quum in ſeſtione prima de ſymptomatibus febris ſcarlatinae ita iam locutus ſim, vt eadem ex generali febris nominatae cauſſa deducere (§. X.): non opus eſt, vt hic de iſdem, quatenus febri ſcarlatinae, epidemice nunc graſſanti, competere viſa ſunt, denuo dicam.

Non.

Nonnulla itaque tantum ex allata causa deducam. Agmen ducat *ventris dolor* (§. XVII.). Patet ex prima sectione, febrem scarlatinam fauces, oesophagum &c. adficere. Verum non subsistit hic inflammatio erysipelacea, sed latius sese ad ventriculum & intestina extendere debet. Dum itaque nominatae partes ab inflammatione adficiuntur: neque ventris dolor, utpote inflammationis symptoma, deesse potest. Cogita dein, cruditates, in primis viis collectas, quas obtinuisse verosimiliter demonstravi §. anteced., non solum sibi relictas ventris dolorem prouocare, sed etiam irritando debilitandoque scarlatinae materiam magis hic reuocare potuisse. Sequatur *dentium dolor* (§. XVIII.). Dentium grauissimos dolores ab inflammatione gingiuarum induci posse, ex Pathologia patet. Dum itaque inflammatio, a scarlatina subnata, os, fauces aliasque partes occupauit: neque dolor dentium hinc deesse potuit, inflammatione latius sese ad vicina loca extendente. Ex simili ferme fundamento phaenomena, quae lingua exhibuit (§. cit.), deriuari possunt. Lingua enim ab eadem, quam dixi, inflammatione adfecta, non tantum *tumida*, verum etiam, sanguine vi intensi caloris inspissato, *nigricans* atque, tenui perspirabili, quod superficiem illius ambit, itidem a calore coacto, *mucos obducta* conspici debuit. Quod *glutinesum* (§. cit.) attinet: debetur is partim acri scarlatino, ad rectum etiam delato, partim cruditatibus, in primis viis coaceruatis (§. antec.). *Vomitibus mucosis & biliosis* ab inflammatione ventriculi, acri ad eundem delato, motu eiusdem conuulsiuo, cruditatibus iam descriptis, condensatione fluidorum tenuiorum a calore, ab irritatione denique primarum viarum, effusionis bilis causa, subuascuntur (§§. X. XVIII. XIX. & Pathol.).

thol.). Conf. etiam BOERHAAVIUS *de cognosc. & cur. morb. §. §. 642.*  
 §2. Ab acri denique seri *stimulus frequens sub mictione* (§. XVII.)  
 reperi debet. Reliqua symptomata, §pho modo citato descripta, facile  
 ex iis, quae superius iam adduximus, enodari possunt. Omittenda er-  
 go sunt.

## §. XXI.

*Differentia huius epidemicae febris ab aliis febribus scarlatinis.*

Frequens satis est obseruatio, quod epidemici morbi differant ab  
 iisdem morbis, epidemice tamen non grassantibus. Hanc vero diffe-  
 rentiam bene considerare Pathologum oportet. Perspicit sic exactius  
 naturam morborum epidemicorum, intelligit, an symptomata vel acci-  
 dentalia sint, vel necessaria? diagnosin & prognosin facilius format;  
 viamque ad praxin sternit. Dum itaque in eo adhuc sum, vt theori-  
 am febris scarlatinae, epidemice hactenus grassantis, tradam: iuuabit,  
 de differentia differere, quae hanc febrem aliasque febres scarlatinas in-  
 tercedit. Reuoco huc maxime sequentia momenta: I. *Dolorem den-*  
*tium.* Nemo, quantum recordor, hoc febris scarlatinae epidemicae  
 symptoma (§. XVII.) adnotauit. An forsitan febris haec epidemica a  
 fortius agente acri provenit, quo factum est, vt acris scarlatini effectus  
 latius sese per os extendat? Num forsitan cum acri scarlatino aliud  
 commixtum fuit, quod dentibus valde est inimicum, quale quid in  
 scorbutico notamus? II. *Alui tenesinum & stimulum sub mictione.*  
 Neque enim haec quoque symptomata adnotata inueni. Nonne caus-  
 sa accessoria (§. XIX.) alui tenesinum, acre fortius vero tam hunc, quam  
 stimulum istum induxit? an vermes, nonnumquam iam praesentes, hoc

D

sympto-

symptoma auxerunt? III. *Tumorem illum leucoplegmaticum totius corporis*, ut & *soporem numquam* obseruauit *Illustr.* BOEHMERVS in febre hac scarlatina epidemica. Transpiratio bene succedens illum, alia symptomata (§. XVII.) hunc praecauere potuerunt. Denique IV. *loca eruptionis* diuersa fuerunt (§. I.). Haec sunt praecipue illa momenta, quibus *Illustri* BOEHMERO febris haec Scarlatina ab alia diuersa uisa est.

## §. XXI.

*Iudicium de periculo huius febris.*

Supra iam monui (§. XII.), quantopere optimi Medici respectu periculi, cum febre scarlatina connexi, a se inuicem recedant, id tamen simul euincens, dari febrem scarlatinam tam mali, quam boni moris. Quum prognosis huius febris formari nequeat, nisi periculum illius notum fuerit: opus hinc erit, ut ostendamus: an febris scarlatinae epidemice grassans haecenus boni malive sit moris? Dum scarlatinae febris symptomata, quibus, si mali sit moris, ab ea sese distinguit, quae boni est ingenii, considerat *Celeberr.* PLENCYZ *loc. cit. p. 55. seqq.* haec affert: *ingens prostratio virium, uti & appetitus inopinato accidere solet, tandem sequitur vomitus, aliquando, sed raro, diarrhoea; adsunt dolores capitis, febris & sitis magna; inquietudines, anxietates, vigiliae, sopor, aliquando delirium; tandem aliquando prima, aliquando secunda, aut tertia die in conspectum venit scarlatina: hoc tempore fauces dolent, tument, rubent, ut non tantum deglutitio, sed & loquela difficilis reddatur &c.* Quae si conserantur cum iis, quae §. XVII. de symptomatibus febris scarlatinae epidemice grassantis dicta sunt, eandem mali moris fuisse, manifestissime docent. Nihil dicam de  
moti-

motibus conuulsivis, morrem saepe inferentibus (§. XVII.). Pergit *Celeberr.* PLENCIZ pag. 58. de eiusmodi febris scarlatinae symptomatibus & phaenomenis differere, dicitque, eam *ad sextam aut septimam diem protrahi, exurgentibus simul una altera die, antequam evanescat, vesiculis, purpuram albam referentibus.* In nostro casu non ad diem septimum, sed saepe ad diem decimum quartum febris protrahatur; vesiculae etiam, veram purpuram non referentes, sed exprimentes, cum omnibus febris malignae symptomatibus comparebant (§. XVII.). Pater ergo ex his, febrem scarlatinam, quam describo, vere fuisse mali moris. Adplicet §. XII. dicta ad symptomata, §. XVII. descripta, compara haec cum functionum vitalium robore & integritate, multoque minus de sententiae nostrae veritate dubitabis. Fuit itaque febris valde periculosa, quo etiam nomine *Illustri* BOEHMERO innotuit, prouti patet ex testimonio *Eius*, quod ad finem §. XVII. adduxi.

§. XXIII.

*Casus specialis.*

Casus specialis, cuius mentionem §. XVII. inieci, quique §. anteced. confirmare potest, hic est, verbis *Illustris* BOEHMERI a me recensendus: Diris symptomatibus stipatum hunc morbum functum in infante VII. annorum observaui, qui antea ventris tumore, atrophicorum instar, laborauerat. Primo enim, quo corripiebatur, die aderant, praeter alia symptomata (§. XVII.), deliria & post duodecim horas motus conuulsivi & epileptici oriebantur, sub quibus vomitus frequentes biliosi cum inuoluntariis excretionibus aluinis observabantur. Motus epileptici durabant per viginti quatuor horas; erumpebant sub iis-

dem maculae in extremis atque inflammationem erysipellaceam fitebant. Verum sub hisce atrocibus conuulsionibus, nulla arte coercendis, diem obibat supremum.

## §. XXIV.

*Quid exinde colligi possit?*

Ex allato casu efficitur 1. vera esse, quae §. XXII. dixi. 2. Vomitus & diarrhoeas, feбри scarlatinae accedentes, nonnumquam motibus conuulsuis deberi, ad ventriculum & intestina propagatis. 3. Motus conuulsuos, proueniente iam exanthematum eruptione nihilominus perdurantes, letales esse (§. XVII.), quod Prognosi inferuit.

## §. XXV.

*Nonnulla de Prognosi adferuntur.*

Quum Prognosis morbi cognita adeo multum faciat ad formandas indicationes: nonnulla hic de prognosi febris scarlatinae, haecenus epidemice grassantis, adiuciam. Quum ex dictis pateat, febrem hanc non solum esse exanthematicam, sed etiam mali moris: ea etiam ad eandem adplicari debent, quae de eiusmodi febribus generatim valent. Hinc exanthematum eruptio, eiusque tempus, corporis robur, impetus febrilis, symptomata, eruptioni fauentia aut aduersantia, maxime attendantur necesse est. Quum vero in febre, de qua loquimur, respiratio & deglutitio, ob praesentem anginam, valdopere fuerint laesae, quum motus conuulsui adeo horrendum febris produxerint euentum (§§. XXIII. XXIV.): adhaec etiam symptomata respicere nos oportet. Conf. *Illustr. LUDWIGVS loc. cit. ff. 169 170.* Quae, si omnia in casu quodam speciali obseruentur atque ad integritatem vitae corporis  
huma-

humani referantur, ostendere possunt, an bonus sperandus, aut malus metuendus morbi sit euentus?

SECTIO TERTIA

DE

METHODO

IN CVRANDA FEBRE SCARLATINA  
EPIDEMICE GRASSANTE

AB ILLVSTRI BOEHMERO OBSERVATA.

§. XXVI.

*Introitus.*



Ad practicam mei argumenti me accingens considerationem: ea tantum adferam, quae methodum medendi, quam in epidemica ista febre obseruauit *Illustris* BOEHMERVS, respiciunt. Notandum hoc esse putauit, ne quis, hoc vel illud remedium omissum esse videns, concludat, nos eius usum vel damnare, vel superfluum iudicare. Constitutio subiectorum non permittit, vt nonnulla remedia adhibuerit *Vir Illustris*, quod in primis de Venae sectione valer, quam in usum vocare eo minus erat necessarium, quo saepius verum sanguinis e naribus stillicidium in subiectis aegris obseruatum est.

## §. XXVII.

*Indicationes.*

Consideranti febris scarlatinae, epidemice haecenus grassantis, naturam, sequentium indicationum veritas facile innosceret:

- I. mitigetur acris atque eius excretio blande promoueatur;
- II. symptomata vrgentia respiciantur; atque
- III. morbo sublato roborantia & cruditates, in primis viis collectas, enacuantia vsurpentur.

## §. XXVIII.

*Indicatio prima.*

Acris scarlatinum, a viribus vitae vix ita subigendum, vt in humorem nostrae naturae abeat, sui excretionem omnino postulat. Ne vero, antequam excerni queat, nimis horrendos producat effectus, ne etiam eius excretio, acris fortius agente, impediatur: opus est, vt acris simul mitigetur. Pater exinde veritas indicationis primae (§. antec.). Ad adimplenda momenta, quae allata sibi vindicat indicatio, sequentia pertinent:

- I. *Diluentia.* Diluens enim aqua fortiorem acris actionem impedit (*Illustris GAVBIVS loc. cit. ff. 293.*); acris etiam multa aqua solutum, facilius per vias excretionum naturalium ferofarum difcedit.
- II. *Corrigentia.* Quodsi acris scarlatini natura exactius nota esset; quodsi in naturae regnis simul remedia cognita essent, isti acris scarlatino e diametro opposita; quodsi tunc ab vtriusque actione corpus



corpus fieret, corpori humano vel nullo modo, vel minori in gradu nocuum: summo tunc cum aegrorum emolumento destrueremus acre scarlatinum atque maxime adpropriata remedia, acre scarlatinum corrigentia, haberemus. Quum vero priora praestare nequicamus: alia corrigentia vsurpari debent. Referenda huc sunt *diluentia*, *obuoluentia*. Quamvis enim eiusmodi remedia acre scarlatinum non destruant; id tamen efficiunt, vt mitius agat, faciliusque excernatur (n. I.). Conf. *Illustr. GAVBIUS l. c.* Num huc forsitan ea etiam reuocari debent, quae putredini obuiam eunt? Febris sane scarlatina facile, vt patuit, cum iis febribus connectitur, quae putridam acrimoniam pro sua causa agnoscere videntur (§§. II. XVII.). Nisi itaque aliis indicationibus repugnent eiusmodi remedia, cum aegri emolumento adhiberi possunt.

III. *Temperantia*. Nimius impetus febrilis non solum acris actionem intendit (*Illustr. GAVBIUS f. 303.*), sed excretioni illius quoque obicem ponit (per princ. Physiol.). Verum satis magna adfuit febris (§. XVII.). Ne ergo, quae adduximus, remedia in cassum adhiberentur: opus fuit, vt temperantia simul adiungantur. Referenda huc sunt *acidulata* & *nitrosa*, quae etiam putredini resistunt & excretiones naturales serosae promouent (n. II.).

IV. *Diapnoica*. Quum acre scarlatinum serosae maxime sanguinis parti insit, quod in prima sectione docuimus: eius quoque ex-  
cretio

cretio per loca serosa fieri debet. Quum vero nulla magis loca apta sint ad id praestandum, quam quae corporis constituunt peripheriam: eiusmodi remedia omnino adhiberi debent, quae hanc excretionem intendunt. Ne vero remedia adhibeamus, temperantium virtutem destruentia (n. III.); leniora illa sint opus est, i. e. *diapnoica*, quae nota satis sunt. Eandem ob causam *pulverem vitalem* horis matutinis nonnumquam cum utilitate *Illustr.* BOEHMERVS exhibuit.

V. *Roborantia leniora* ob virium defectum (§. XVII.) atque ad sustentandas excretiones (§. IV.). Commendavit ideo quoque *Illustris* VIR pulverum vitalem, gelatinas acidulatas, variaque acida, blanda, viribus & gustui amica. Commendavit ideo VIR *Illustris* Mixturas diapnoicas, temperantes, acidulatas, syrupis Papav. alb. acitof. Citr. de Eryf. LOBELII remixtas, atque regimen diapnoicum suavit.

### §. XXIX.

#### *Indicatio secunda.*

Maxima cum cura haec indicatio adimplenda erit, ne vel ingens aegro sine necessitate creetur incommodum, vel lethalis morbi euentus prouocetur. Ad haec vero symptomata iure pertinent:

I. *Motus convulsivi*. Confer. §§. XXIII. XXIV. XXV. Ad hos mitigandos securis antispasmodicis & antepilepticis usus est *Illustris* BOEHMERVS v. g. Liqueur. miner. anod. Lambr. Pulu. March.

cum

mit cum puluer. diapnoicis & nitrosis remixtum, ol. anim. DIPPELII  
 rectificatissimum ad vnam alteramue guttulam pro aetatum diffe-  
 rentia. Atrocissimi motus conuulsui, in casu §. XXIII. descripti,  
 vnice hisce resistebant.

II. *Affectus anginosi.* Dum enim non solum respirationem impe-  
 dian, sed etiam medicamentorum vsũ non admittant, requi-  
 runt, vt tollantur. Gargarismata diligenter adhibita, aut frequen-  
 tius syringae ope applicata hisce satisfaciunt. Conf. hic *Illustr.*  
 LVDWIGIUS l. c. ff. 170.

III. *Alui tenesmus & stimulus sub mictione.* Maximum enim aeg-  
 ris creant incommodum. Cedunt vero frequentissimo enema-  
 tum demulcentium vsui, quo acris temperatur materia, quem  
 itaque sollicitè commendauit *Illustris* BOEHMERVS, affectuum angi-  
 nosorum curationi (n. II.) etiam adcommodatum.

IV. *Sitis* ob eandem causam quam dixi (n. III.), sui postulat re-  
 motionem. Diluentia, acidulata, corrigentia, temperantia (§. an-  
 teced.) hocce symptoma minuunt. Conf. BOERAAVII *Aphorism.*  
*de siti febrili.*

§. XXX.

*Indicatio tertia.*

Quum quilibet morbus remotus debilitatem relinquat, febris et-  
 iam scarlatina praecipue quoque in primas vias agat: veritas huius indi-  
 cationis exinde patet. Commendauit ideo *Illustris* BOEHMERVS vsũ

E

Eff.

Ess. Alexiph. temper, cum Ess. Succ. & spiritu nitri dulci remixtae interpositis Pilul. balsamicis, vel remediis rhabarbarinis. Nonnumquam, finito morbo, leniora resoluentia quoque v. g. Liquor. terr. fol. rart. cum roborantibus adhibuit *VIR Illustris* tumori oedematoso reli-

cto aliisque impuritatibus destinata. Descriptis ergo iis, quae

Sectio haec requirebat, tractationem hanc

FINIO.



Wer



Wer zeigt sich mir, wer steigt, umstrahlt mit Glanz,  
Mit einem frischen Lorbeerkranz,  
Von dem Olymp? Sie ist es, Hygiene,  
Sie kommt, daß sie, o Freund, Dich kröne,  
Und ihre Pracht erweckt mein Lieb,  
Worin ein zärtlich Herz, von Lust durchdrungen glüht.

Dich, Freund, den ich mein selbst genennet,  
Für den mein Herz noch zärtlich brennet,  
Seh ich voll Lust des Fleißes Lohn genießen,  
Da Lorbeern sich um Deine Schläfe schließen,  
Mein Herze singt Dir wünschend zu:  
Kein Sohn des Aesculaps verdient sie mehr, als Du.

Wo findt ein zärtlich Herz, und eine treue Brust,  
Wol einen größern Stoff der Lust,  
Als wenn das Glück verdiente Freunde krönen;  
Du wachstest Nächte durch, zum Fleiß gewöhnet,  
Du sammeltest voll Munterkeit,  
Gleich Dienen, Wissenschaft, und ruhest jede Zeit.

So gehe nun, gekrönt mit Heil und Glück,  
Und nim mit einem heitren Blick  
Den Lohn, den Dein Verdienst und Fleiß Dir reichen,  
Nie muß das Glück von Deiner Seite weichen,  
So lang mein zärtlich Herz Dir schlägt,  
Umarne Dich das Glück, das Dich als Liebbling pflegt.

Doch wenn es Dir im Schooß Hygeens lacht,  
Und Deine Tage golden macht:  
Wenn jedes Purpurroth der Morgensonne,  
Dich neu erschafft, voll vom Gefühl der Wonne;  
So bleib auch treu der Zärtlichkeit,  
Und gönne mir Dein Herz, der Ehrlichkeit geweiht.

G. H. Rocholl,

der Arzneygelahrtheit Doctor, und Fürstl. Hessischer Hofrath.

E 2

VIRO



V I R O  
 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
 CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

IOAN. FRIED. GOLDHAGEN,

M. C.

*E*tsi iam dudum aliqua nec plane leuis esse inter nos notitia coeperat: tamen sero demum accidit, ut ad coniunctiorem illa familiaritatem euaderet. Id quidem ita factum esse, valde me poenitet. Talem enim TE mihi exhibuisti amicum, qui cum optimis litteris imbutus, tum morum integritate atque elegantia ornatus, omnem consuetudinem vtilem puriter ac suauem & iucundam reddere posset. Vt igitur lubentissime officiis desungar omnibus, quae mea aduersus TE studia declarare queant: ita studiosissime hoc praesertim TVO die non committam, ut de TVIS mediocriter tantum laetari videar. Qua de causa hoc maxime TIBI persuasum esse velim, fieri non posse, ut sit, qui maiorem, quam quidem ego, ex hoc studiorum TVORVM exitu laudabili capiat laetitiam. Hac vero animi affectione gratulor TIBI diligentiae TVAE successus felicissimos, novos praesertim, quos promeritus es, honores: atque hoc quidem magis, quod scio, cum sibi ipsa ad laudem virtus sufficiat, eosdem non tam praemia, quam ad virtutem etiam maiorem incitamenta visum iri. Itaque diuinis sub auspiciis bene prospereque TIBI eueniant omnia, ut viuas TIBI, patriae, reipublicae, orbique erudito, potissimum tamen aegrotis: hoc autem pacto ipsi adeo immortalitati viuas. Caeterum TIBI me ita commendo, uti studio quam maximo possim. Vale. Dab. Halae Magdeburg. d. XIV. Calend. Decembr. MDCCLXIV.

ORIV

VIRO

V I R O  
 PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO  
 DIETER. HERRMANN. EHRLICH,  
 MEDICINAE CANDIDATO DIGNISSIMO  
 AMICO SVAVISSIMO

S. M. D.  
 IOANNES GODOFREDVS MORGENBESSER,

M. ST.

*Aduenit dies, quem celebrabis, dierum TVORVM memoratu dignissimus; dies, quo via ad accipienda industriae praemia TIBI ostenditur; quo denique dignitas ad TE conferri debet, quae ne a potentissimis quidem orbis terrarum dominis pro lubitu cuiquam tribui solet, sed iudicio sapientum virorum relinquitur. Et, ut iure eam poscere potes, cum tanto studio ad ea, quae requirit, incubueris; cum non nisi rectam ad eam assequendam migraueris viam: ita iure TIBI conceditur; quae iis tantum, qui TVVM sequuntur exemplum concedenda est. Quantam ergo ego exinde percipio laetitiam, tantam percipient & amici & aegroti, quibus intolerabile fere est tempus, quo TE carere debent! Maximo affectu gaudio diem, quo TE recepturi sunt, praecedent. Festos dies quasi parant, ut decenter TE accipiant. Sed quotquot auxilia TVA expectant, ii his certe non frustra nituntur. Quae erit felicitas TVA, quae salus, quae fortuna? Discede itaque. Viue patri, viue TVIS omnibus, viue amicis, viue aegrotis, viue diu! Ne definas autem, tantis bonis fruens, & me amore TVO complecti, quo habetis solitus fuisti. Credas velim, me semper fore TVI amicissimum. Quae mea est felicitas, quod silentium per aliquod temporis spatium a nobis seruatum tali occasione tollere potui! Vale. Faue. Dabam Lipsiae IV. Iduum Nouembris Anno MDCCCLXIV.*

E 3

VIRO



V I R O  
 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
 CANDIDATO  
 HONORVM DOCTORALIVM DIGNISSIMO,  
 AMICO SVO HONORATISSIMO

S. P. D.

IOANNES HENRICVS WOLTMANN,  
 HALBERSTADIENSIS, IVRIVM CVLTOR.

*F*eliciter ergo, omnibusque ex votis vita TUA Academica defunctus, in eo es, ut summos breui honores, virtutis doctrinaeque praemia sis reportaturus dignissima. Equidem dumtaxat, quanti TE faciam quam oque TE sim prosecutus amore publice declarandi desiderium sane huc usque fuit ardentissimum. Cuius quidem postquam hodie compos tandem factus sum voti, quid gratius, quid mihi iucundius eo potuit accidere? Verum enim vero in laudes TVAS prolixiori excurrere oratione, earumque agere praeconeum, plane superuacaneum esse videtur, cum solidissima doctissimaque TUA dissertatio, quam pro virili parte mox defensusurus es, satis superque docent, TE non a limite Medicas salutasse artes, sed limpida atque splendidissima earum instructum esse doctrina. Nihil igitur amplius mihi superest, quam ut TIBI, ac TVIS, PATRIAEQUE de hodierno gratuler die, TIBI quidem potissimum de studio Medico rite gloriosaeque confecto, TVIS de spe singulari de TE facta parum frustrata Patriaeque de membro dignissimo. In hanc igitur redi, doctrina ac eruditione locupletatus, fructusque laborum TVORVM collige vberrimos. Quod reliquum est, faxit summum Numen, ut fausta TIBI, fortunata, & prosperrima quaeuis eueniant. Bene mihi in posterum velis, rogo, & persuasum habeas nunquam tam bene TIBI futurum, quin meliora cupiam. Vale! Dabam in Fridericiana regia d. VIII. Nouembr. MDCCLXIV.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE PRAESTANTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

AMICO SVAVISSIMO

S. P. D.

IOANNES GEORGIVS FRIEDERICVS BÜCHNER,

SEEBACO -- THVRINGVS, M. C.

*Praeclaram, quam longe multumque flagitavi, occasionem, publicum edendi testimonium, quantum TE semper amauerim, si praesenti tempore amitterem, omnino esset verendum, ne mihi ipse deesse viderer. Si quae enim fuit amicitia, quam veram atque perfectam dicere posses, certe quam nos gessimus, ita natam ac firmatam esse puto, ut, quamquam non a paruis incepta, cum aetate simul creuerit, tamen eo laudabilior veniat, quod breuiori temporis spatio ad summum fastigium sit perducta. Hinc fieri non potest, quin iuvundissima perfundar laetitia, qui TE nouis honoribus nouisque virtutis eruditionisque praemiis iam iam condecorandum conspiciam. Maeste ergo virtute TVA! maeste gloria! maeste denique ipsa TVA felicitate! DEVS T. O. M. felicitet consilia atque studia TVA, prosperrimam, quibuscunque conaminibus TVIS impertiat, euentum, bene omnia TIBI succedere iubeat, in reipublicae commodum atque salutem in splendorem ornatae TVAE familiae, in voluptatem TVI ipsius, in solatium denique mei amicorumque omnium laetitiam. Vale, meque semper amare perge. Dabam Halae ad Salam, die XII. Nouembris, MDCCLXIV.*

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

Quod a TE, AMICORVM OPTIME, cum quo coniunctissime per tres & quod excurrit, annos vixerim, iam distrabar, id ita mihi molestum & graue accidit, vt TVA desiderium, mihi crede, vix videar mihi esse laturus. Idem vero dum cogito, a nobis TE hinc ad honores & diligentiae virtutisque praemia capessenda euocari, de fortuna TVA & felicitate laeter iterum iterumque impensius necesse est, verum ita etiam laeter, vt fausta quaeuis TIBI, ORNATISSIME EHRlich precatus, TE per sacra amicitiae iura obtester, vt mei nostraeque consuetudinis memoriam a nobis distractus, nunquam deponas. Reddat modo TE, carissimum caput, DEVS TVIS, quos merito in patria caros habes, omnibus, TEque summa, quae quidem in bonos omnes cadit, felicitate beandum censeat. Ita vale atletice, quod aiunt, & faue,

TIBI

Halae Magdeburgicae,  
d. XXI. Nou. MDCCLXIV.

adiutissimo

MICHAEL. HEINR. ALBERTI, T.C.



Diss. med. Hal.

g. 1763/64.


ULB Halle

005 379 296

3







DE  
SCARLATINA  
ACTENVS GRASSANTE

ONSENSV  
EDICORVM ORDINIS  
A FRIDERICIANA  
A ESIDE  
CELLENTISSIMO, DOCTISSIMO  
PERIENTISSIMO,  
O M I N O  
DOLPH. BOEHMERO  
CHIRVRG. P. P. ORDINAR.  
E H. T. DECANO SPECTATISSIMO,  
IOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.  
NT. ET PARISIN. CHIRVRG. SODALI,  
V DOCTORIS  
TER CONSEQVENDO  
EMBRIS CIOCCCLXIV.  
. L. Q. S.  
CE DISPV TABIT  
AVCTOR  
RRMANNVS EHRlich  
A - G V E S T P H A L V S .  
\*\*\*\*\*  
AE EX OFFICINA HENDELIANA.

